

ro dicatur oleo ex eisdem parato inesse refrigerandi facultatem. Huic depravat a lectioni illud quoque, refragatur, quod sint nobis Græci Dioscoridis codices, in quibus verba illa de Terebinthini olei facultatibus non leguntur, sed de ejus tantum conficiendi ratione mentio habetur.

Μαστίχινον έλαιον.

MASTICHINUM OLEUM.

CAP. XL.

Mastichinum est trita fit mastiche. Quod contra omnia vulvæ mala efficax est: mediocriter calfacit, astringit, & emollit. Adversus prominentes stomachi duritias, celiacorum, dysentericorumque cruciatus utile: faciem emaculat, & colorem nitidum facit: optimum in Chio insula componitur.

Mastichini parandi rationem, sanè quàm paucis Dioscorides perstrinxit, quippe trita tantum Mastiche fieri tradidit, nulla alia explicata conficiendi ratione. Sepiasarii autem nonnulli prorsus obliti, scripsisse Mesuem in balneo calentis aqua Mastichinum confici debere, communi oleo, albo vino permisto, mastichen admiscere, & æreo vase carbonum igni admovent, ibique, tanto tempore effervescente sinunt, quoad vinum prorsus exiliat, ac inde usui asservant. At ipse vitreus organus est purissimo tantum mastiche illud sapius confecti.

Sepiasarii
riorum
lapis.

Μίγρον σύνθεσις.

UNGUENTORUM COMPOSITIO.

CAP. XLI.

DE ratione unguentorum consequenter tractandum existimavimus, quandoquidem ea in nonnullis corporum vitiis, aut medicamentis mista, aut corpori perfusa, aut naribus objecta, plurimum profunt: in quorum probationibus consulere nares oportet, an ea oleant, ex quibus temperantur. Optimum hujuscemodi judicium, quod tamen in quibusdam planè observari non potest, propter ea, quæ admiscuntur, odore cæteris prævalentia: ut in amaracino & crocino, telino, & plerisque aliis, quæ crebra circa hæc meditatione experiri conveniet.

Unguenta, ab utendi modo, Græcis *μύρα* fortè à Myrrha: quo nomine veteres pretiosa unguenta ex odoramentis confecta appellabant: hodie verò quæ ex oleis, speciebus quibuscunque & cera componuntur, ita vocantur: at hæc non simpliciter *μύρα*, sed myracopa dicenda, quoniam similia sint acopis. Primus censetur Archilochus *μύρα* nomen unguentis imposuisse, siquidem vetustissimus Homerus licet unctionum frequenter meminerit, attamen oleum, non Myron appellavit: sic quo ungebantur à Moysæ sacerdotes, non unguentum sed oleum sanctum vocant. Et licet opinio sit, primum unguentum ex Bryo seu musco & balanino oleo confectum fuisse, attamen oleum sanctum, de quo Exodi 30. & apud Josephum lib. antiquit. 3. cap. 13. primum statuendum, quod ex præstantissimis odoramentis conficiebatur, utpote ex myrrhæ spontè fluentis, quingentis siclis: cinnamomi aromatici, 250. & calami aromatici tantundem, calisæ verò quingentis, secundum siclum sanctuarii: & olei de olea Hin, id est duobus cois Atticis, unguentum opere unguentarii conficiebatur: quo & sacerdotes, & tentorium conventionis, arca testimonii, mensa & omnia instrumenta ejus ac reliqua vasa illita purgabantur. Unguentorum licet duo constituerit genera Iesius libello de odoribus, alterum deliciarum quod *χρίμα* seu *χρίσμα* dicitur: alterum promiscuum & ferè palæstris dicatum, quod *αλειμμα* cognominatur: tria tamen constituemus summa genera: unum ad luxuriam: alterum ad necessitatem: tertium ad salubritatem. Ad luxuriam, apud Græcos, Perfæ & alios cultiores Orientis populos, quotidianus erat in conviviis usus, quare cum bellariis & corollis, secundis mensis inferebantur: quibus convivarum capilli & barbæ ungebantur, de quibus Athenæum consule. Et licet Solon, cum hæc ad lasciviam veneris facere animadverteret, unguenta Athenis divendi vetuerit: sic Socrates apud Xenophontem ut meretricium accusarit: sic Lacedæmonii unguentarios civitate expulerint, eos oleum corrumpere distitantes, attamen hac ætate plurimi & ambram & moschum ad fastidium olent. Ad necessitatem erant ea quibus certantes utebantur & palæstrarum corpora inungebantur. Ad valetudinem tertium genus facit. Dioscorides auctor est, ea aut medicamentis mista, aut corpori perfusa, aut naribus objecta, in quibusdam corporum vitiis plurimum conferre. Hæc autem nunc usitata ex tribus conficiuntur, oleo, speciebus & cera: oleis adjiciuntur adipēs, butyrum & mucilagines: nonnunquam gummata & lachrymæ his quoque miscentur. Species seu pulveres pro affectuum diversitate variant. Cera additur, ut convenientem consistentiam unguenta nanciscantur: ita tamen plerique conficiunt ut ad oleorum 3. 1. specierum 3. 1. ceræ 3. 1. admisceant: At cum unguenta æstate plus ceræ, hyeme minus requirant: sic interdum firmitus & diutius, interdum contra, corporibus adhærere velimus, consultius ut componentis judicio liberum relinquatur. Galenus 4. de sanitate tuenda, ceræ quartæ parti, resinæ duodecimam immiscet, sic enim non solum pulcherrimum sed etiam quod bene adhæreat unguentum fieri: idem habent Oribasius in unguento ex Euphorbio, & Aegineta lib. 7. cap. 17. Concludentes dicimus unguenta quæ in Pharmacopoliis habentur, assumpta antiqua unguenti significatione, unguenti nomen non mereri, sed potius esse apud veteres olea composita, cum plerumque nullam odore fragrantiam habeant. Dioscorides verò ea proponit quibus corpora irrigantur & ex quorum olfactu vires animales (hic rursus ipsius Methodus notanda) recreantur, & quod aliis medicamentis hæc misceri soleant. Unguenta verò quæ ad voluptatem & luxum faciunt, in totum Dioscorides omittit, tanquam indigna quæ inter remedia salutaria proponantur: de quibus multa Plinius lib. 13.

Unguenti
primi
confe-
ctio.Unguen-
torum
genera
tria.Unguen-
ta usitata
ex qui-
bus con-
ficiuntur.Olea cō-
posita ve-
terum.

Ρόσάκον.

ROSACEUM.

CAP. XLII.

Rosaceum sic fit. Junci odorati quinque libras & bessum tundito, & subactas aqua in viginti olei libris & quincuncem, subinde movendo, coquito: dumque percolaveris, in olei libras viginti, & quincuncem, adjicito rosas non madefactas numero mille, & manibus melle perunctis identidem movero, interbet.

G 4

interbet.

interdū premens, finito nocte tota macerari, postea exprimito: & ubi recrementum pessum ierit, mutato vase, in craterem melle illitum recondito. Carterum rosas, quæ antea pressæ fuerunt, in labellum demittito, & affusis octo libris & quadrante spissati olei, iterum premito, eritq; secundarium oleum. Quod si tertias usque, quartasve perfusiones infundens exprimere voles, secundarium fiet, tertiarium, & quartarium unguentum. Sed quoties id feceris, vasa melle oblini debent. Si verò secundam & infusionem instituire libet, in expressum oleum, numero pari recentes rosas, nullo humore imbutas injicito: manibus melle præmadefactis agitans premito: & iterum tertio, aut quarto simili modo exprimens facito, totiesque recentes rosas detractis unguibus immittito: fiet enim ita oleum multo validius: nam septies oleum rosarum infusionem admittit, nec amplius. Præsum melle perungatur, oleum à succo diligenter secerni oportet, nam si minimum quid relinquatur, unguentum corrumpet. Alii autem detractis unguibus rosas tantum oleo macerant in sole hoc modo. Rosæ, quæ selibram pondere æquant, in sextario olei diebus octo madescunt, & usq; ad tertiam perfusionem quadraginta diebus insolantur, & sic oleum reconditur. Alii calamo, aut aspalathio prius olei spissamenta faciunt. Alii coloris causa anchusam admiscunt, & salem, quò minus oleat. Vim astringendi, & refrigerandi obtinet: fomentis, & cataplasmatibus utile. Porum solvit alvum: stomachi ardorem restinguit: ulcera cava replet, & mulcet, quæ cacoethe vocantur: ulceribus in capite manantibus, atque fervidis eruptionibus illinitur: caput dolens eo perfunditur: dentes inter initia doloris collui prodest: ad genarum duritias illitum efficax est: ad lacellita interanea, & concitatas vulvas utilissimè subjicitur.

Unguentorum
confid.

Hoc sub olei nomine comprehendit Dioscorides, oleum omne, quod per se tantum, nulla alterius olei admixtione, aut ex arborum fructibus, aut herbarum diversorum generum seminibus, aut stirpium resinis elicitur. Sed unguenti appellatione intelligit oleum omne genus, cui & odoramenta, & alia simplicia medicamenta admiscuntur, ut in præsentia de Rosaceo agens, & deinde in sequentibus manifeste ostendit. Quo fit, ut apud Dioscoridem oleum vocetur, quod simpliciter expressum sit: unguentum verò oleum quodlibet, cuius componendi ratio pluribus consistit medicamentis. Quapropter Galenus lib. v. i. simp. medicamentorum de oleo agens, sic inquit. Ex dictis cognoscere jam liceat, & de aliis olei generibus, quæ æquivocè ipsis dicuntur, unguentis, puta rosaceo, melino, liliaceo, & quacunque id genus floribus, fructibus, geminibus, foliis in oleo maceratis conficiuntur. Horum quoque ubi una cum aromatibus præparantur, unguentum efficitur. Carterum oleum rosaceum, quod hoc tempore officina completū appellant, à Dioscorido rosaceo longè distat, quod etiam eo præstantius existimandum est summum ob artificium, quod in ipsa parandi ratione diligentiores adhibent myropola. Quod eorum tamen perpauci (ita ut ingenium est multorum à labore proclive ad ignaviam) illud secundum suam temperant, tamen si plures ab eo optimi rosacei conficiendi modum sint consecuti. Fit etiamnum rosaceum rosis non assatim debiscens in omphacinum demissis, modò calentis balnei viribus (ut in quibusdam aliis superius adnotavimus) modò insolatu perquam longo. Sunt & qui, ut magis viribus præstet, oleum prius ex aqua rosacea lavent, deinde plusculo temporis spatio ter, aut quater rosas infundant, quæ haud penitus satiscant: demum expressione peracta, immaturarum rosarum succum adjiciunt, ac inde diu insolant. Postremo oleum à succo secernunt, & diligenter asservant. Hoc inflammationes discutit, roborat, adstringit, fluxionesq; cohibet, ne ad ægras defluant partes. Potum torminibus dysentericis medetur. Capitis vulneribus aptissimum est, quod roborat, siccet, resolvat, inflammationesq; non modo prohibeat, sed etiam extinguat. Quocirca hac in re maximè probatur Galenus lib. 2. de comp. med. secundum locos, ubi de dolore capitis scribit, qui vel ex vulnere, vel casu excitatur: cuius etiam meminit lib. x. simp. med. de sanguine agens.

Rosacei
confid.

Rosacei
omphacini.

Rosacei
omphacini
vires.

Ελάτηος.

ELATINUM.

CAP. XLIII.

Elata elate, tusa, & sacrificata, in labellum dejicitur: omphacinum oleum triduo infunditur, mox per sportulam exprimitur: verum pares esse debent utriusq; portiones, dein mundo vase ad usus reconditur. Viribus rosaceo proportionem respondet: alvum tamen non mollit.

Elatinum, quod ex dactylorum involucris antiquitus parabatur, hac nostra tempestate obsolevit.

Μελινος.

MELINUM.

CAP. XLIII.

Melinum hoc modo temperatur: Olei congius decem aquæ sextariis admiscetur. Adjicitur elatæ palmarum fractæ quadrans, & junci odorati uncia: quæ die uno macerata coquuntur, mox in vas oris patuli oleum excolatur, & indita arundinacea crata, aut rara tegere, cotonea mala superponuntur, & vestimentis operta tantisper inibi resident, dum malorum vires ad se oleum alliciat. Aliqui cotonea decem dierum spatio operimentis involvunt, ut contineatur odoris suavitas, nec evanescat: postea biduo macerata oleo exprimuntur, oleumque reconditur. Id vim refrigeratorem, & adstringentem habet. Contra scabiosa ulcera, & quæ serpunt, ac furfures, perniunculosque effectum præbet: exulceratis vulvis infunditur: citatam urinam sistit infusum: sudores cohibet: contra cantharides, buprestim, pinorum erucas, bibitur. Laudatur maximè quod cotonea mala olet.

Melini
confid.

Melinum oleum ad hodiernum officinarum usum hoc modo conficitur. Cotonea nondum plane matura in talculos dissecta omphacino oleo macerantur, & vino ex eis expresso superaddito insolantur. Deinde calentis aquæ balneo iterum, atq; iterum perfunduntur, & extrahuntur, ut in aliis superius ostendimus.

Οenanθινος.

OENANTHINUM.

CAP. XLV.

Oenanthe è labrusca, optimè olens postquam emarcuit, dejecta in omphacinum oleum movetur, volviturque: & cum biduo manserit, exprimitur, & reconditur. Astringit, proximum rosaceo effectum præbens: sed alvum non resolvit, aut mollit. Probatissimum est, quod odore œnanthen refert.

Oenan-

Oenantbinum nullam à nobis requirit explanationem: quoniam à Dioscoride tam apertè proditur ejus parandi ratio, ut non sit opus, illud pluribus explicare.

Τελινον.

TELINVM.

CAP. XLVI.

Foeni græci libræ quinque, calami libra una, cyperi libræ duæ, olei libris novem septenis diebus macerantur, quotidie ter moventur, postea premuntur, & reponuntur. Aliqui pro calamo cardamomum substituant, & cyperi loco xylobalsamum macerant. Alii oleo antea his odoribus spissato fœnum græcum macerantes exprimunt. Hoc telinum abscissus emollit, & concoquit: omnibus vulvarum duritiis magnopere convenit, fœminis difficile parientibus subijcitur, ubi præ excretis humoribus loci siccitatem contraxerunt: sedis inflammationes lenit, tenesmo subditum prodest: ulcera capitis manantia, furfuresque expurgat: ambustis, & pernionibus addita cera proficit: vitia cutis in facie emendat: pigmentis ad conciliandum faciei nitorem inferitur. Eligi oportet recens, quod non vehementer fœni græci odorem præ se ferat, & manus abstergat, sapore ex dulci in amarum inclinato: tale enim optimum judicatur.

Officinarum Luminaria ex Rhaphis auctoritate aliam, quamvis exoletam, Telini componendi rationem tradunt, in quo calamo odorato, & cypero elaterii bessem adjiciunt.

20

Σαμψυχον.

SAMPsvCHINVM.

CAP. XLVII.

Serpylli, cassiæ, abrotoni, florum sisymbrii, frondium myrti, sampsuchi singulæ portiones, quadam pro viribus ipsorum conjectatione, unâ tunduntur, atque is omphacini olei modus adjicitur, qui mendentium vires non evincat: hæc post quadriduum exprimuntur: denuo nova alia simili mensurâ, & æquali tempore macerata premuntur: ita enim validius reddi solet. Eligi oportet sampsuchum colore ex atro viridi, plurimum redolens, mediocriter acre. Vim habet acrem, calfacentiam, extenuantem: adversus vulvæ præclusiones, conversionesque efficax est: menses, & secundas, & partus extrahit, vulvæ strangulatus recreat: lumborum, inguinumque dolores lenit: sed cum melle uti eo præstat, quandoquidem vehementi astrictione locos indurat. Lassitudines illitum discutit: in opisthotonicorum, vul-

30 forumque cataplasmata utilissimè additur.

Quamquam ex Theophrasti, Dioscoridis, & Plinii sententia idem esse constat sampsuchum, & amaracum: cum tamē Galenus, & Paulus de his diversis capitibus seorsum scripserint, eorumque temperamenta per gradus dissidere tradiderint, non ab recedere nonnulli aliud esse sampsuchum, aliud verò amaracum. Quorum opinionem auxit etiam Dioscorides, quod in his unguentorum compositionibus Sampsuchinum, & Amaracinum diversis capitibus digesserit. Quod facile plerisque, ad credendum induxit, has stirpes tum facie, tum viribus differre, hac ratione freri, quod si alterum ab altero non distaret, omnino præter rationem de his variis in locis scripsisset Dioscorides, alterum unguentum Amaracinum, alterum verò Sampsuchinum appellans. Porro ut hujusmodi controversia tollatur, sciendum est, stirpem eam, quæ Galeno, & Paulo amaracum appellatur, id sanè amaracum non esse, quod Theophrastus, Diosc. & Plinius sampsuchum vocaverunt, sed potius (ut ego existimo) Marum, id quod etiam sentiunt clariores nostri seculi simplicium indagatores. Namque Mari, nec Galenus, nec item Paulus quicquam prorsus in simplicium medicamentorum libris meminerunt. Quare non deest suspicio, quin librariorum culpa, in Galeno Mari titulus in amaracum abierit: quandoquidem in ejus tum gradibus, tum facultatibus assignandis Galenus à Dioscoridis Maro non longè recesserit. Sunt & qui velint apud Paulum, & Galenum id Amaracum dici, quod Dioscorides parthenium vocat: quippe & hoc quibusdam amaracum vocatur. Cujus rei indicium esse existimant, quod tam Galenus, quam Paulus nullibi in simp. medic. libris aliquid de parthenio posteritatis memoria prodiderunt: quorum opinio non omnino reprobanda videtur. Caterum licet Dioscorides, Sampsuchini & Amaracini diversis per se capitibus meminerit, non obstat propterea, quò minus idem esse possint sampsuchum, & Amaracum. Si quidem duabus de causis ut alterum ab altero distingueret, Dioscorides facile impulsus fuit: quarum altera est, quod si diligenter animadvertantur utrorumque compositiones, utique Amaracinum tum multò odoratius, tum Sampsuchino prætiosius judicabitur. Ideo, auctor eo quod nolebat unguentum hoc apprime nobile intactum relinquere, quod, ob ejus claritatem id particulari descriptione dignum censebat, ut præstantia discrimen faceret, utque etiam minus probatum à probatissimo dignosceretur, homonymiam immutavit, ipsumque, non quidem Sampsuchinum, sed Amaracinum appellare voluit: nam si id non fecisset, quodnam altero præstantius esset, discerni non potuisset. Huc accedit alia ratio, qua alterum Sampsuchinum, alterum verò Amaracinum Dioscorides appellaverit: quod (ut libro tertio proprio capite legitur) in Cyzico sampsuchum amaracum appellabatur, unde hoc unguentum insigne petitur. Et quoniam à Cyzicenis claris illius compositoribus ex eorum more Amaracinum vocabatur, talem nomenclaturam Dioscorides baudquaquam permutandam censuit: quare ipsum in eadem reliquit appellatione, quam secum ex Cyzico tulerat.

Sampsuchini consideratio.

Solutio controversiæ de Sampsucho & Amaraco.

Opinio quorundam Amaracum esse Parthenium.

60

Οκίμινον.

OCIMINVM.

CAP. XLVIII.

Ocimum oleum fit ut cyprinum. Ocimi folia decerpta librarum undecim, & bessis pondo, die noctuque viginti olei libris macerato, premito, colato: cumque exhauseris quallum, rursus parem olei modum fundito, & exprimito. Vocatur autem id secundarium: nam tertiæ perfusionis non est capax. Deinde recens ocimum æquali pondere, ut in rosaceo diximus, rursus maceratur, & cum tanto temporis spatio maduerit, exprimitur, & oleum reconditur: quod si in animo fuerit ter, aut quater madefacere, semper ocimum recens addes. Potest ex omphacino confici: sed illo modo melius. Idem quod sampsuchinum potest, sed inefficacius.

R. B. G. m.

Α' βροτονινον.

ABROTONINUM.

CAP. XLIX.

OLei cyprini odoribus imbuti libris novem & quincunce, foliorum abrotoni libras octo die novemque madefactas, premito. Quod si in longum tempus oleum velis asservari, ejectis prioribus foliis, nova appones, & macerata exprimes. Calfacit: ad vulvæ duritias, præclusionesque efficax est: menstrua, & secundas pellit.

Α' νηθινον.

ANETHINUM.

CAP. L.

† παλαιῶν
i. antiqui.
leg. Orib.
Conclusa
leg. Orib.
τὸ αὐτὸ. i.
tantun-
dem.

OLei † libris octo & dodrante florum anethi [libras undecim & bessem,] maceratas in oleo die unâ, manibus premito, & recondito. Quod si iterum perfundere velis, recentes anethi flores consimiliter madefacito. Vulvarum duritias emollit, venarum spiracula laxat, contra horrores febrium circuitu redeuntes auxiliatur: calfacit enim & lassitudines discutit: prodest articulorum doloribus.

Συσινον.

SUSINUM.

CAP. LI.

Susinum, quod alii liliinum appellant, sic temperatur. Olei libræ novem cum quincunce, calami libræ quinque & quadrans, myrrhæ uncia quinque, permisto odorifero vino decoquantur, & colato oleo, cardamomi tufi & celesti aquâ madefacti libræ tres & semis macerantur premunturque, tres libræ cum semisse spissati olei assumuntur: mille lilia deceptis foliis, in latum, non tamen profundum labellum demittuntur: injectum oleum manibus melle perunctis agitur: diè noctuq; conquiescunt, & in pyxidem matutinis exprimuntur, quod defluet oleum, protinus ab aqua, quæ simul expressa fuerat, colo incerni oportet: non enim, ut rosaceum moram tolerat; nam concalfactum fervet, & computrescit; quare sæpius decapulandum. Vasa melle illinenda, tenuis sal inspergendus, & si qua sordes vasis faucibus hæsit, eximenda. Odoramentis jam expressis ex quasillo in labellum transfusis, rursus olei prius odoribus imbuendi, quod primum pondus æquet, & cardamomi tufi drachmæ decem conjiciuntur. Hæc manibus scite pressa, interjecta brevi morâ exprimuntur: quod profluit, repurgatur. Tertio eadem infunduntur, adjecto cardamomo, & sale, & manibus melle madefactis. Longè optimum erit, quod prius exprimitur: secundum, quod sequitur: tertium locum sibi vendicat, quod novissimum prodit. Denuo in mille lilia evulsis foliis expressum primò oleum infunditur: tum eadem ratione prosequendum, idemq; faciendum, ut prius: addito cardamomo, dein expresso, fac eadem in secundo, & tertio, ut dictum est: & quò frequentius recentia lilia maceraveris, eò validius unguentum efficies. Denique cum factum abundè videbitur, singulis compositionibus miscere convenit myrrhæ quàm optimæ duas & septuaginta drachmas, & croci decem, cardamomi quinque & septuaginta. Croci verò, & cinnamomi pares portiones tunduntur, & cribratæ in lutram cum aqua demittuntur, expressumque primò unguentum infunditur, & paulò post excipiuntur vasculis siccis, myrrhâ, aut gummi antea perfusis, & croco, & melle, & aquâ madefactis. Eadem sunt in altera, aut tertia expressione. Aliqui simplex ex balanino, aliove oleo, & liliis componunt. Optimum esse constat in Phœnice, mox Ægypto factum, sed cum primis laudatur, quod lilia redoler. Excalfacit, emollit: vulvæ præclusiones, & collectiones aperit: utilissimum ad muliebria mala: ulcera in capite manantia, fervidas eruptiones, varos, furfuresque emendat: vibices, cicatricesque celerrimè ad colorem reducit, ita ut sæpè fallant. In summa extenuat: potum, bilem per alvum extrahit, urinam ciet: sed stomacho alienum est, & nauseam parit.

Antiq.
eod. legi.
ψύδιον &
φλαγγίνον.
i. i. frigidi-
tates
& infla-
matio-
nes.

Hoc, quod ex liliis temperatur: illud item, quod ex ocimo, abrotono, anethoq; conficitur oleum, cum uniuscujusque parandiratio per se clara sit, ideo nostris explanationibus non indigent. Caterum Susini compositio mihi quidem pluribus in locis librorum potius, quàm auctoris incuria depravata videtur.

Ναρκισσινον.

NARCISSINUM.

CAP. LII.

Narcissini spissamenta ita sunt. Sex libræ aspalathi cum sextante tunduntur: olei elori libræ septuaginta cum vnciis quinque assumuntur. Aspalathus aqua madefactus in tertia olei parte coquitur: quo exempto, calamus quinque libris & besse adjicitur, cum myrrhæ gleba contunditur, cribrataque ac vino veteri odorato immista, decoquitur: simulac autem cum iis effervuerit, eximitur: refrigeratum oleum excolatur, cujus portio in labellum mittitur, flores narcissi quàm plurimi conjiciuntur, qui bidui spatio (ut in susino dictum est) permoti exprimuntur. Oleum subinde decapulandum, siquidem celerrimè putredinem sentit. Valet hoc ad emolliendas vulvæ duritias, præclusionesque: sed capitis dolores facit.

Narcissinum, quod ego sciam, non paratur nostratibus myropolis, quod mirum non est, cum id etiam Plinii ætate parari desisset, ut ipse libro x l i i . cap. primo memoria prodidit.

Κρόκινον.

CROCINUM.

CAP. LIII.

Cum Crocinum componere voles, prius olei, ut in susino diximus, spissamenta facies, eisdem ponderibus, & mensuris: cujus olei libras tres & semissem, croci unciam unam assumes: identidem quotidie moveto, & sextâ die, quàm hoc assidue peregeris, oleum, à croco colis incernito, eidem croco parem olei modum adjicito: move triduo, dein contusæ myrrhæ, atq; cribratæ drachmas quadraginta permisceto, & in pila agitatam recondito. Aliqui oleo aromatibus ad cyprinum imbuto in crocini compositione utuntur. Optimum est, quod abundè crocum spirat, in medendi usu expetitur. Proximum quod myrrham